

aliquo homine secundum solitam speciei humanæ dispositionem nato, utrum nempe in ipso dentur plures & quidem tres animæ, quarum una rationalis, immaterialis & incorruptibilis, reliquæ verò materiales & corruptibiles.

§. 23. Antequam rationes nostras quibus vera sententia fulcitur, in scenam producamus & contraria adversariorum argumenta profligemus, lubet controversiam illam, quia huic totus noster discursus innititur, paucis prius movere, an nempe una tantum forma, unum informet corpus naturale, an verò plures formæ informantes unum corpus simul informare possint? Variant hinc Autores: Thomas de Aquino l. 4. contra gentes c. 81. non nisi unam formam substantialem in quolibet corpore naturali agnoscit, adeoque in homine etiam non tantum animam sentientem & vegetantem, sed etiam formam mixti, nihil aliud esse statuit, quam animam rationalem. Thomam hanc in parte sequuntur alii Scholastici, cum primis etiam Thomas Comptonus in *disp. Phys. 11. s. 3.* qui negat etiam supernaturaliter fieri posse, ut plures formæ substantiales sive subordinatæ sive non subordinatæ sint, unam materiam simul informare possint. Rodericus de Arriaga *disp. 3. s. 6.* etsi etiam statuatur de facto plures formas substantiales non informare unam materiam; idem tamen nihil repugnare putat, quominus de potentia Dei absoluta plures eandem materiam simul informare possint.

§. 24. Scotus tamen statuit de facto non tantum plures formas partiales (nam alia forma in carne est, alia in nervo, alia in jecore, alia in osse) sed & plures formas totales sibi invicem subordinatas in una eademque materiâ vel uno ac eodem corpore naturali esse posse. Hunc inter alios viros summos sequuntur etiam Cornelius Martini in *Metaph. Minor. p. 300.* & B. Dn. D. Calixtus in *tractat. de Resurrectione carnis. c. 9. s. 19.* cujus verba integra adscribere non pigrabitur: *Sententia hæc* (scilicet Thomistarum, quæ statuunt quòd corporeitas sit nihil aliud, quam ipsa anima rationalis & nul-